

SECTIO SECVNDA.
DE MVNDO.

De origine Substantiarum finitarum.

§. 1.

Substantiæ finitæ principium existentiae non habent in se. Cum autem actu existant; investigandum est, undenam earundem origo sit derivanda. Aut aliquid existere potest sine ullo principio; aut ad omnem existentiam necessario requiritur principium quoddam. Sed impossibile est, ut aliquid existat vel oriatur sine ullo principio, unde existentia vel origo rei cujusdam deduci possit. Necessarium itaque est, ut existentia rerum finitarum derivetur à Principio quodam.

§. 2.

Si quid existeret, cujus existentia destituta esset omni principio; idem existeret aut ab infinita duratione, aut à finita. Sive ab infinita sive à finita idem existat duratione: principium manifestationis vel manifestabilitatis est aut in re ipsa, aut non in re ipsa. Si non est in re ipsa neque in re ab hac diversa, necessarium est, ut *medium* intelligatur inter *fundari in se & fundari in alio*. *Medium* illud non posset aliter efferi, quam per *planè non fundari*